

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXVI. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](#)

DOMINICA XXVI. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 25. v. 31. -- 46.

EXORDIUM.

Johannes Damascenus memorabilem historiam recenset, de Rege quodam, ejusque fratre. Rex ille continuo libi ob oculos posuit diem extremi judicii, ideoque subtristis & macerens incensit. Frater ipsum commonuit, ut profligato macrōe lātitiam ostenderet, liquidem nullam cautam tristitiae haberet. Rex illi tūm quidem nullum responsum dedit. Paucis verò diebus elapsis, Rex præconem misit, qui ante ædes fratris buccinā signum daret, quod in Regno illo mortis signum fuit. Cum Præco id fecisset, & frater sonitum tubæ percepisset, totus exhorrescebat, putans, se à Rege morti adjudicatum. Lugubri ergo vele induitus, consternatus ad Regem pergit, ad cuius genua provolutus orat, ut vitam sibi donaret: non enim sibi constare, quānam re capitis reus factus esset. Cui Rex: Mi frater, tu tantoperè pertimisti sonitum buccinæ, qui tamen nihil deliquisti, quod morte dignum es; Et ego non animo perturbato essem, cuius auribus tuba extremi judicii semper infonat, qui exploratum habeo, quod indies imò momentaneè Deum meum, multis peccatis offendierim? Iccircò ne ludibrio me habeas, si in contemplatione judicii ultimi, omni mundano gaudio renunciem, & vitam meam in perpetuo macrōe transigam.

Laudabile factum Regis, quo fratrem à securitate detergere voluit! Est autem hic Regis frater imago filiorum hujus seculi, qui de iudicio ultimo parum solliciti, omni tristitia valedicunt, & in delitiis terrenis se recreant, non secus ac si fœdus percusserint cum morte, & cum inferno paclum fecissent, *Esa. 28. v. 15.* hi terrendi sunt die extremi judicii, qui est dies tubæ & clangoris, *Soph. 1. v. 16.* ubi Filius Dei in tubâ Dei descendet de celo, *1. Thess. 4. v. 16.* & nos ad tribunal suum citabit: idque eo fine, ut securi isti homines à vano mundi gaudio absterrantur, ex adverso verò cœlestia semper sollicitè querant.

Ed collinearunt Majores nostri, ideoque Evangelia nonnulla in Ecclesia Dei tractanda ordinarunt, in quibus doctrina extremi iudicii paulò plenius continetur, quò verbi Ministri ansam haberent, saepius diem ultimum inculcandi, & sonitu ultimæ tubæ homines terrendi, ut sic timore percussi, in se descenderent, & per seriam pœnitentiam vitam emendarent.

Nos instituti nostri memores videbimus

- I. *Triplacem Querelam.*
- II. *Triplacem Medelam.*
- III. *Triplacem Cautelam.*

Exegē-

in 20th J. minde J. J.

Exegetis.

Cum terrenum judicium agendum est, judex paratus, tribunal collosum, & judex sessum capit, nihil tamen geri posset, nisi partes citentur & appareant. Judicium extremum quam proximè instat, judex constitutus est, Acto. 10. v. 42. thronus paratus, Psal. 9. v. 9. undepartes in procinto stent, ut si citentur, promte compareant. Processum verò hujus judicij præfens Pericope delineat.

Querela respicit

I. *Omnium hominum coram tribunali congregacionem.* Ita enim Servator: Et congregabuntur ante eum omnes gentes: cum quo consentit Paulus, Rom. 14. v. 10. & 2. Cor. 5. v. 10.

Hæc verba semper recordamini, Vos me! Mundanum judicium ubi exercetur, reus coram judice appareat neccelle est: sic & justitiae, veritati & sapientiae Christi congruum, ut, sicut ipse in forma visibili comparitus est, ita & omnes homines eum intueantur, & ad tribunale ejus sistantur.

Hæc congregatio omnium rigorosissima erit. Rigorosa quidem fuit, ubi inter tonitrua & fulgura, & clangorem buccinæ vehementius perstrepentis, lex promulgata fuit, Exod. 19. v. 16. & Moses congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt, quæ jussit Dominus fieri, Exod. 35. v. 1. verum ejusmodi conventus nunquam fuit, qualis die novissimo futurius est. Hinc Augustinus: Deus ostendit potentiam suam in creatione, Sapientiam suam in gubernatione, misericordiam suam in reparatione, justitiam suam in judicio.

Hoc luculentius patebit, si judicia terrena & ultimum conferamus, convenientiam & disconvenientiam illorum contemplantes.

Coram judicio mundano reus sistitur, & judicis ante oculos versatur: Idem fieri die ultimo, ubi omnes ~~rebus~~ ~~mundis~~ sistemur ante tribunal Christi, Rom. 14. v. 11. Vide 23. v. 33. 35. Sed magna hic diversitas: Hic enim homo à terrenis modò judicibus citatur: ibi verò sistetur in conspectu SS. Triados, coram omnibus Angelis, & electis. In memetipso jurayi, mihi curvabitur omne genu, ait Dominus, Isa. 45. v. 23.

Siquis in hoc mundo comparere veretur, Magistratus eum in loco competenti sistit: Homines, præcipue impii, libenter evitarent hoc judicium: ast quia judex est hereditarius in omnibus gentibus, Psal. 82. v. 8. Dominus super opera digitorum Dei, Psal. 8. v. 4. mare, terra, omnes tumuli, valles, montes, hiatus, foveæ exhibebunt vivos & mortuos.

Abscondere quidem se fatigant, in speluncis & petris montium, à facie sedentis super Thronum, & ab ira Agni, Apoc. 6. v. 16. Verum frustram. Montes, colles, & petrae sicut cera fluent, à facie Domini: à facie Domini omnis terra, Psal. 97. v. 5.

In hoc mundo multi fugâ sibi consulunt, aliorum se conferunt, & hoc modo judicium declinant. Verum nec hoc ibi locum habebit. Oportet omnes ~~facti~~ ~~crebri~~ ~~veri~~, 2. Cor. 5. v. 10. Judex enim omniscius & omniprælens est, Sir. 23. v. 28. Psal. 139. v. 2, & seqq.

Hinc

Dominica XXVI. post Trinitatis.

520

Hinc nemo fugâ dilabi poterit. Non fugiet velox, nec salvari se putet fortis, Jer. 46.v.6. Amos 2.v.15. Nunquid Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus, nunquid non caelum & terram ego impleo, Jer.32.v.23. Sir.16. v.15.18.

Inferiat hoc dehortationi vestre, Vos mei! ut quilibet peccatis renunciet. Nescis, quam meticulo la res sit ire ad judicem, dicit Plautus. Nemo enim ab hac congre-gatione immunis erit, quod omnes in justitia operatores probè obseruent.

Demosthenes olim meretricio Laidis amore intensus, cum nimium quantum illa posceret, dixit: Tanti poenitere non emo. Id multò æquius Christiano considerandum, Eccl.11.v.10. nemo hic effugiet, quidni ergo peccatis valediceret?

II. Impiorum à pii separationem, de quā Servator: Et separabit eos ab invicem, sicut pastor legregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dexteris suis, hædos autem à sinistris. Per oves intelligit piros, per hædos verò impios: sicut igitur oves & hædi interdiu promiscue pascuntur, vesperā verò ingruente separantur: Ita & in hoc mundo pii & impii promiscue degunt, verū mundi vespera irrumpente & ipsi segregabuntur.

Per dextram in Scripturis bonum, per sinistram verò malum intelligitur. Cor sapientis in dexterâ ejus, & cor stulti in sinistra illius, Eccl.10.v.2. Dextera significat felicitatem & lætitiam: Sinistra vero infelicitatem & tristitiam. Quia igitur pii bonum elegetunt, ideo à dextris quoque sistentur: impii malum elegetunt, pro-

pterea à sinistris collocabuntur. Judeus in medio residebit, utrinque magna catervâ stipatus.

Hic promiscue vivunt boni & mali. Ecclesia similis est sacerdotiæ, missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, Matth.13.v.47. Cain & Abel in una domo habitant, Gen.4.v.12. Jacob & Esau in eodem utero concluduntur, Gen.25.v.24. Lazarus & Epulo unam civitatem incolunt, Luc.16.v.19. Phariseus & Publicanus idem templum frequentant, Luc.18.v.10. Petrus & Judas uni mensæ accumbunt, Luc.22.v.14. Hic separati non possunt. Non ex cultu Dei externo: huic enim intersunt, tām impii quam pii, tām hypocritæ, quam sinceri Christiani: non ex fortuna exteriori, sunt enim justi, quibus mala proveniunt, quasi egissent opera impiorum: & sunt impii, quibus talia eveniunt, quasi justorum facta habeant, Eccl.8.v.14. pii flagellantur, impii florent, Psal.73.v.5. quodsi hīc florentes piros, & calamitosos impios pronunciantur, probi omnes damnarentur, improbi vero beatentur: Verū in adventu Domini accuratè distinguuntur pii & impii, oves & hædi, & omnes suo loco collocabuntur. Hic Dominus, ut est omniscius, cujusque cor introspiciet, & ita judicabit in justitia, Act.17.v.31.

Sicut igitur distincti stabunt, ita etiam dissimili affectu erunt. Pius jucundum erit, à dextris Christi stare, & cum Augustino exclamabunt: O gaudium super omne gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! Hebr.12.v.23. Impii verò terrificum. E collocazione enim à sinistris facile colligent, quali judi-

cio

gio officien
ingeminab
anumz!
Theodo
Thelafo
munican
profita l
meli clau
dammator
lum nobis
aginilim
quam ex
enna!

III. Im
verba da
scis em
ignem a
& Ange
eternum
proposit
1. In
fus, op
digitec
tem meo
kontende
tenuerit
totuere
sum.42.3
Magn
io, quon
Te illi,
O 15.11
lunam
lunam
1.1.1.1.
dij. Joh
in. De
te. ne
1.1.1.1.

Magn
io, quon
Te illi,
O 15.11
lunam
lunam
1.1.1.1.
dij. Joh
in. De
te. ne
1.1.1.1.

1.1.1.1.

cio

gio afficiendi sint. Hinc lamentabile va-
ingeminnabunt, vae mihi! vae corpori! vae
anima!

Theodosius Imperator propter cœdem Thessalonicensium ab Ambrosio excommunicatus, lamentabili voce, & largiter profusis lacrymis dixisse fertur: Cœlum mihi clausum est. Quantus ergo ejulatus damnatorum erit? Ibi verè dicent: Cœlum nobis clausum est in æternum. Obe-nignissime Jesu! noli concedere, ut quisquam ex hoc cœtu tormenta inferni sentiat!

III. Impiorum damnationem, de quâ ita verba babent: Tunc dicet his, qui à simi-
stris erunt: Discedite à me, maledicti, in
ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Et ibi illi in supplicium
æternum. In his verbis Christus ipsis proponit

1. Tristem depulsionem. *Ite, inquit Christus, apagete, discedite ex oculis meis, non dignificis, qui me intueamini, aut societatem mecum habeatis ullam.* O verbum horrendum! Ibi commovebitur & con-tremiscet terra, & fundamenta cœlorum concutientur, propter iram judicis, 2. Sam. 22. v. 8.

Magnâ hinc formidine percellentur im-pii, quando ita à facile Domini abjicientur. Vae illis, si ego discessero, ait Dominus, Ol. 9. v. 12. cum Deo societatem habere est summum bonum, ab eo exclusum esse, summum malum. Deus vita est, Joh. 11. v. 25. manebunt ergo in morte. Deus lux est, i. Joh. 1. v. 15. manebunt ergo in tene-bris. Deus caritas est, i. Joh. 4. v. 16. ab hac in æternum excludentur.

2. Execrandam nominationem. Vocat

enim eos maledictos. O verbum terribile! Maledictum esse, est omnibus pœnis tem-
poralibus & æternis subjectum esse, Deut.

27. v. 15. seqq. Cum Christus maledi-
ctionem nostram in se suscepisset, cœpic
contrastari, mœstus esse & angustus dicens:
Tristis est anima mea usque ad mortem,
Matth. 26. v. 37. & factus est sudor ejus,
sicut guttæ sanguinis, decurrentes in ter-
ram, Luc. 22. v. 44. Quid damnati animi
habebunt, si propter propria peccata ma-
ledictione devotentur, quia meritum
Christi petulanter pedibus concularunt.
Nonne angor, pavor, & luctus eorum ed
major erit?

3. Abjectionem, & quidem in ignem æ-
ternum. Per hunc ignem maximi cruci-
atus & tormenta significantur, quia hic
supplicium æternum vocatur. Cremabit
quippe non corpora duntaxat, sed & ani-
mas damnatorum.

Ignis & æstus languorem afferunt:
Multè magis ignis ira divina, qui ardebit
usque ad novissima inferni, Deut. 32. v. 22.

Ignis sitim causat, quæ excipit languo-
rem. Ita damnati in inferno siti macera-
ti, ne guttula quidem aquæ, ad refrigeran-
dam linguam suam, potentur, Luc. 16.
v. 25.

Ignis exquisitos dolores parit. Quantos
dolores, cruciatus quantos sentient da-
mnati flamma infernali undique cinc-
eti? Utique dolores exquisitissimos sen-
tient in anima, quæ desperabit. In consci-
entia, quæ illos arrodet. In corpore &
omnibus membris, quæ excarnifica-
buntur. Idque non aliquamdiu, sed in
æternum.

4. Demonum associationem. De Regno



cælorum dicitur in Evangelio nostro, quod hominibus paratum sit. At deinceps aeterno non dicitur, homini paratum esse, sed Diabolo, & Angelis ejus. Diabolus enim primam lapsus est, & hominem quoque seduxit. At hominibus salus parata est in Christo, si cum verâ fide amplectantur. Hoc quia impenitentes facere nos luerunt, idè & ipsi angelis & filiis Diaboli accensebuntur, & ita eandem sortem eum illis subibunt. Et hoc ipsum cruciatum eorum augebit, quod a commettendo Dei & beatorum exclusi, in terribili hac societate degent.

Inseriat hoc *dohortatione vestre*. Non ludit hic Christus, sed seriò agit. Non concernit bona terrena, vel vitam temporalem, sed aeternitatem. Christus ita verba sua concepit, ut omnium Epicureorum effugia refellerit. Cogitarent, forte, Christus misericors est, non abiciens nos. Sed *ite, ait, maledicti*. Censerent, si maledicti sumus, in locum amoenum relegabit nos. Relegabit, sed *in ignem*, omnium tormentorum exquisitissimum. Existimarent, si in ignem, ille aliquando extinguetur. Ah minimè! inquit enim, *in ignem aeternum*. Opinarentur, sit licet aeternus, tamen tolerabilius erit, pœna Diabolorum, à quibus seducti sumus. Nequam ait Christus, *paratus enim est Diabolo & angelis ejus*. Nolite ertare: non irridetur Deus, Gal. 6. v.7.

De Secundo.

Sequitur Medela, quæ fluit.

I. Ex *Judicis notatione*, is hic vocatur Filius hominis. David ita dicit: Dominus ad judicium paravit tribunum suum, Ps. 9. v.8. Et Ps. 50. v.6. Deus judex est. Confer,

Hebr. 12. v.23. Unde colligendum, totam S.S. Trinitatem judicium aetoram esse.

Deo Patri expresse adscribitur, Dan. 7. v.9. & Act. 17. v.31. Quod vero dicitur: Neque Pater judicat quenquam, Joh. 5. v.22. id ratione visibilis actus intelligendū est.

Spiritu S. quoq; judicium tribuitur, dum Spiritus judicii dicitur, Es. 4. v.4. Sicut enim in hoc mundo homines per verbum arguit, Gen. 6. v.3. Joh. 16. v.8. ita etiam dic ultimi cum Pare & Filio eosdem iudicabit. Est enim opus ad extrahere quod omnibus tribus personis commune est.

Quanvis autem tota S.S. Trinitas judicium exercebit: attamen externus actus iudicis per Christum ostendetur: exercebitur, ut Evangelium praesens testatur. Vide Joh. 5. v.23. Act. 10. v.42. Quod non modo quod divinam, sed & humaham naturam ei competit, juxta quam in nubibus cœli omnibus hominibus conspicuus erit. Hinc dicitur: Pater dedit potestatem Filio iudicium facere: quia Filius hominis est, Joh. 5. v.27. Hoc prius in solatium vergit. Si Moses judex foret, causam haberemus pertinencidi, ille enim in genere, omnes maledictos pronunciatus esset, qui non permanerunt in omnibus sermonibus legis, Deut. 27. v.27. Hic nemo hominum replicare quicquā posset, omnes enim declinavimus a mandatis & iudicis ejus, Daniel. 9. v.5. Si hostes Evangelii judices essent, iterum causam timendi haberemus, utpote qui ab executione incepturi, & indicata causa damnaturi nos essent. Sed judex est Christus frater noster, hinc nemo in eum credens animū abiciat, ipse quippe dicit: Qui in me credit, non peribit, sed habebit vitam aeternam, Joh. 3. v.16. Est advocatus noster, quis condemnabit? Rom. 8.34. Est Spon-

Sponsus noster, Hos. 2.19. Ecce sponsam rejiceret? Est frater noster, Hebr. 2. v. 14, quidni fraterno nos amore amplectetur? Est amicus noster, Cant. 2. v. 8. qui odio nos haberet? Est Salvator noster, Luc. 2. 11. quomodo salutem nobis denegat? Est caput nostrum, ecce ur membra sua repudiaret? Col. 1.18. Est pastor noster, quomodo oves suas hæc dis associaret? Est Iesus noster quidni propter nomen suum nobis gratia largiretur? Ergo in Domino gaudemus, & exultemus in Deo, Iesu nostro, Hab. 4.18.

II. Ex operum misericordia commendatione. Esurivi enim, inquit, & dedistis mihi manducare. Sitivis & dedistis mihi bibere &c.

Pontificii hæc invenisse se putant, non quod pueri in fabâ, prætendentes, operibus hic causam meritioriam salutis adfignari. Verum oppidò falluntur. Non enim hic operibus salus tanquam causæ meritioriae adscribitur, diversum enim docet Paulus, Eph. 2. v. 8. Rom. 3. v. 28. Rom. 11. v. 6. quo respectu hic vita æterna hæreditas dicitur, quæ tamen meritoria non est: Sed conditio & signum subjecti, eorum scilicet, qui salutem hæreditabunt. Hi illi erunt, qui esurientes cibarunt, sitiientes potarunt &c. Quia enim fides, quæ unicum ex parte nostra salutis apprehendendæ instrumentum, invisibilis est, bona verò opéra in sensu incurruunt, utpote per quæ fides se exerit, Gal. 5. v. 6. illa tanquam indicium fidei allegantur, iisque salus adscribitur.

Quod ipsum incitare nos debet, ut & in operibus misericordia exercendis sedulius sumus. Multi enim adhuc inveniuntur esurientes, hos cibemus, multi sitientes, hos potemus, multi hospites & alienigenæ, illis succurramus pro virili, Gal. 6. v. 9.

Quod divites potissimum obseruent. Nam ut Augustinus ait: *Divites aliarum paupertate probantur.* Propterea necessitatibus Sanctorum communicate, Rom. 12. v. 13.

Hoc est

1. *Æquum.* Frange esurienti panem, Isa. 58. v. 7. Tob. 4. v. 7. 9.

2. *Christianum.* Frustrè sibi de fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur, ait Bernhardus. Este imitatores Christi, qui propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis, 2. Cor. 8. v. 9.

3. *Commodum.* Date & dabitur vobis, Luc. 6. v. 38.

4. *Gloriosum.* Hinc commendatur Cornelius, Act. 10. v. 2. 4. Tabea, Act. 9. v. 36. Tobias, c. 12. v. 12. Mutuò dat Domino, qui misereatur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

III. Ex sententiæ pronunciata quoad eleemos execusione. Justi autem ibunt in vitam æternam, ait Christus. Per justos intelliguntur illi, qui Christum, qui nobis à Deo factus est justitia, 1. Cor. 1. v. 30. verâ fide apprehensum sibi applicarunt, ut fides ipsi imputata ad justitiam, Roman. 4. v. 5. Isa. 45. v. 24. eamque ostenderunt in fructibus justitiae, quæ per Christum Iesum fiunt, in laudem & gloriam Dei, Philip. 1. v. 11. Matth. 5. v. 16. Hi ibunt. Quò verò? In vitam æternam. Ubi vera vita, & abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dexterâ ejus in æternum, Ps. 16. v. ult. Ibi qui seminarent in lacrymis, cum exultatione mettent, Ps. 126. v. 5. ibi absterget Deus omne lacrymam ab oculis nostri, Apoc. 21. v. 4.

uuu 2

Ibi

Dominica XXVI. post Trinitatis.

§24

Ibi habitabimus in cœlesti Hierusalem, cuius portæ ex margaritis, plateæ ex auro mundo, tanquam vitro pellucido, v. 21. eo anhelamus, & ita vivamus, ut eo pertingamus. Hoc fieri potest

1. Nos ab impiis separando. Psal. 1. v. 1. 2.
2. Cor. 6. v. 14.

2. Justitiam sectando. Justi habuit invitam æternam: Injusti vero Regnum Dei non hæreditabunt, 1. Cor. 6. v. 10. Quarite ergo justitiam ejus, Matth. 6. v. 33. Induite Dominum Iesum Christum, Rom. 13. v. 14. indumentum justitiae, Isa. 61. v. 10. vivite justè, Tit. 2. v. 12. & quæ justa sunt, hæc cogitate, Phil. 4. v. 8.

3. Cœlestia desiderando. Vita æterna est scopus vitæ nostræ, non habemus hæc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus, Hebr. 13. v. 4. nos breua nostrum est in celis, Phil. 3. v. 20. Sursum ergo corda, Col. 3. v. 1. Phil. 3. v. 13.

Inseriat hoc consolationi vestre in omnibus ærumnis & adversitatibus. Si commorui fuerimus, & convivemus, si sustinemus, & conregnabimus, 2. Tim. 2. v. 12. qui participes sunt in tribulatione, participes quoque erunt in Regno, Apoc. 1. v. 9.

De Adriano Martyre legimus, quod constantiam Martyrum admiratus, interrogaverit eos: Quid expectatis pro tanto supplicio? cumque ipsi respondissent: Speramus illa bona, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus preparavit diligenteribus se, 1. Cor. 2. v. 9. adeò ipsum commotum fuisse, ut continuo in Catalogum Christianorum se consignari fecerit, & Martyrium sub Diocletiano læto animo sustinuerit. Sic patienter & vos perferte

malum, ibitis enim in vitam æternam, Ps. 126. v. 6.

De Tertio.

R. Estat Cautela, quæ tribus absolvitur Kegulis, ut sunt

I. Iudicium extreum diligenter expende. Quod Servator noster processum extremi iudicij, tam exactè delineaverit, nostri causa factum est. Ibi enim de omnibus operibus Eccles. 12. v. 14. de omnibus verbis, Matth. 12. v. 36. & de omnibus cogitationis, 1. Cor. 4. v. 5. Deus rationem exposet, & hoc Christus nobis manifestabit, ut cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph. 5. v. 15.

Hæc consideratio gignit in nobis veram pœnitentiam, resilit peccatis, & operatur sinceram pietatem. Beatus erit, quisquis non sine memoriâ divini iudiciorum gesset, ait Hilarius. Et hæc causa finalis est, ut doctrina hæc sedulò inculcetur, quæ pœnitentiam homo agat, Act. 17. v. 30.

Quicumque igitur de extremo iudicio sedulò cogitat, peccata odio prosequitur, ut cogitet: Timete Deum & date illi honorem: quia venit hora iudicij ejus. Apoc. 14. v. 7. Hic timor Domini expellit peccatum, Sir. 1. v. 27.

Ex adverso vero gignit veram pietatem. Sic cum Felix Paulum audiret prædicantem, de iudicio futuro, tremefactus est, Act. 24. v. 25.

Sic Cedrenus refert, Bagarim Bulgarorum Regem, sola pictura extremi iudicij ad Christianam fidem conversum: quanto vero magis hoc præstabilit verbum Dei, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Agamus

Agamus Deo gratias, pro gratia sum, quam nobis in Christo exhibuit, quia in omnibus divites facti sumus in illo, in omni verbo; & in omni scientia. *Cor. i. v. 4. 7.*

Id. Virtutibus ovium stude. Hoc enim simile prae ceteris attribuitur Servatori nostro. Potuisse ille adhibere simile de agricultura, qui zizania a tritico separat, *Matth. xiii. v. 28.* de Piscatore, qui malos pisces foras mittit, & eligit bonos in riva, *v. 47.* sed simile de pastore & ovibus magis ipsi placet, pridem siquidem predixerat: *Ego iudicabo inter pecus & pecus, inter oves & hitcos.* *Ezech. xxxv. v. 17.*

Quod si rigitur a dextris collocari vis, ovinula Christi sis oportet.
Ovis est 1. mansuetus. Sic & tu mansuetudinem amplectere, *Eph. 4. v. 12. Matth. 5. v. 12.* v. 19. id est non sequitur.

2. **Manduca**. Tu similiter, sectare sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum, *Hebr. xii. v. 14.* 1. *Thess. 4. v. 3. 5.*

3. **Minime mala**. Sic & tu sis simplex & rectus, ut *Jobus c. 1. v. 1.* 1. *Petr. 2. v. 1.*

Simplicitas. Receptaque tamen, me Christe, gubernaverit.

4. **Obsequiosa**. Tu similiter: Oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me, ait Servator, *Joh. x. v. 27.*

5. **Placida**. Coram tendente se obmetescit, & non aperit os suum, *Esa. 53. v. 7.* Tu quoque patiens in adversis esto, 1. *Petr. 4. v. 12. 13.*

6. **Fructuosa**. Tu similiter, 2. *Corinth. 8. v. 3. 4.*

7. **Insignita cruce**, vel alio charactere. Hoc quoque non mirum tibi videatur. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, *Matth. x. v. 38.*

His proprietatibus qui predicus est, à dextris collocabitur, & in vitam æternam ibit. Christus enim ovinulis suis dat vitam æternam, *Joh. x. v. 28.* v. 19. id est.

III. Opera caritatis exerce. Sic enim Servator in praesente Pericope: Esurivit, & dedistis mihi manducare &c. & adiunxit: Amen dico vobis, quando fecistis unum de his fratribus meis, minimi, mihi fecistis.

Aadhuc hodie non desunt miseri, qui pa-

hem propter Deum petunt, & elemosynas colligunt. Exhibe illis opera caritatis & misericordiae, sis cum Jobo parer pauperum, *Job. 29. v. 16.* Ne nega, quod desiderant pauperibus, nec oculos vidue fac deficere, cap. 31. v. 16. 17. frange esuri- enti panem, *Ela. 58 v. 7.* Id Servator pallam predicabit dicens: Esurivi, & dedisti mihi manducare.

Occurrunt hospites, peregrini & exiles, qui propter Evangelium persecutio-nes patientur, ut Elias, 1. *Reg. 19. v. 4.* & Amos, cap. 7. v. 12. in Christus ipse a Gergesim in his illorum ejectus, *Matth. 8. v. 34.* hos recipie in hospitium, & hospitalitatem sectare, *Rom. 12. v. 13.* *Hebr. 13. v. 2.* ut Abraham & Lot fecerunt, *Gen. 18. v. 2.* c. 19. v. 1. id Christus commendabit, dicens: Hospes eram & collegistis me.

Multi sunt fratres & sorores, qui nudus incedunt, *Jac. 2. v. 15.* hos vestibus operi. Qui habet duas tunicas, det non habent, *Luc. 3. v. 11.* Quod Episcopum Martinum fecisse legimus. Id Servator similiter laudabit, inquiens: Nudus fui, & operuistis me.

Multi lese offerunt infirmi & agri, qui cum Jobo testa se radunt, & sedent in medio pulvere, *Job. 2. v. 8.* cum Lazaro pleni-

ulceribus sunt, Luc. 16. vers. 20. cum proficidente in Hiericho sauciati & ad mortem usque vulnerati sunt, Luc. 10. v. 30. cum Epaphroditus usque ad mortem infirmatur, Phil. 2. v. 27. hos coafilio, re & auxilio juvare ne cessa. Non te pigeat visitare infirmum, Sir. 7. v. 39. Imitare Samaritanum, Luc. 10. v. 33. id Christus publicè celebrabit, inquiens: Infirmus fui, & visitasti me.

Tandem multi captivi sunt in mundo, sicut Petrus, Jacobus & Baptista incarcerati, Act. 12. v. 1. Matth. 11. v. 2. Paulus catenis alligatus, Act. 20. v. 22. 2. Cor. 11. v. 25. Apostoli cæsi, Act. 5. v. 40. propter Evangelium vincit, 2. Tim. 1. v. 8. exhibe illis opera misericordia, ut eruas eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses, Prov. 24. v. 11. aut alio modo eorum tribulationi communices, Phil. 4. v. 14. Exemplo Ebedmelech Jeremiam liberantis, Jer. 38. v. 4. c. 39. v. 18. hoc quoque Christus prædicabit, dicens: In carcere eram & venisti ad me.

O quanta gloria redundabit in pios,

quando Servator, caritatem, pietatem & alia bona opera coram Angelis & electis publicè enarrabit & laudibus ornabit! In hoc enim omnes cognoscet, qui discipuli & imitatores ejus fuerint, Joh. 13. v. 35. nempe illi qui lucem suam ostenderunt coram hominibus, ut viderint opera eorum bona & glorificarent Patrem, qui in cœlis est, Matth. 5. v. 16. Hinc colligendum, quinam hæredes salutis futuri sint, nempe non alii, quam illi, qui fidem suam ex operibus ostenderunt, Jac. 2. v. 18. & vocationem & electionem suam firmam fecerunt, 2. Peter. 1. v. 10.

Aperti ergo cor tuum erga afflictum, & Deus vicissim catastas cœli aperiet, effusurus benedictionem suam usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. Qui enim dat pauperi, non indigebit, Prov. 28. v. 27. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus &c. Psal. 41. v. 1. seqq.

Hanc opimam promissionem, in omnibus beneficis Christianis, implere digneatur Deus Opt. Max., per Jesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

IN